UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Collegium Universi Juris Canonici

Engel, Ludwig

Salisburgi, 1693

Privilegium XXXI. Monasteriis competit benficium restitutionis in integrum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-61596

Visual Library

circa *triennii* præſcriptionem , & minus circa *mobilia pretioſa* aliquid decidit ; & ſi decidiſſet, tamen id Eccleſias non obligaret. *c. Eccleſia de Conſtit.* neque incongruè dici poſſet, quòd Imperator generaliter *pro temporalibus præſcriptionibus* ſubſtituerit quadragenariam, & tantùm exemplum dederit de præſcriptione 10. & 20. annorum, exempla autem non reſtringant, ſed declarent.

Ad Num. 8. Si tamen ultra tempus præſcriptionis adhuc alii 40. anni lapſi fuiſſent, multis placet tunc etiam Juri petendæ reſtitutionis præſcriptum eſſe, eo quòd lapſu tanti temporis pereat omnis actio.

PRIVILEGIUM. XXXI.

Monaſteriis competit beneficium reſtitutionis in integrum.

1. *Quando competat reſtitutio.*
2. *Remedium extraordinarium non datur quando adeſt ordinarium, niſi iſtud ſit pinguius.*
3. *Quibuſcum conditionibus detur reſtitutio.*
4. *Reſtitutio ſit una cum fructibus.*
5. *A quonam Iudice petatur Reſtitutio.*
6. *Petita reſtitutio contra ſententiam regulariter ſuſpendit executionem.*

1 ECcleſiæ & Minorennibus competere hoc beneficium ſi vel in Judicio, vel extra ex facto ſuo læſi ſint v.g. allegationem, exceptionem aut appellationem intra terminum legitimum ommiſerint, ſi rem minus juſto pretio vendiderint, aut pluris emerint, ſi ex permutatione, hereditatis aditione, aliove pacto aut actu damnum incurrerint, apud omnes in confeſſo eſt *ex c. 1. & 4. & t. t. de In integ. reſt. & t. t. ff. de Minor.*

2 Eſt autem *reſtitutio in integrum* remedium Juris *extraordinarium*, quo læſi in eum ſtatum, in quo ante læſionem fuerunt per officium Judicis reponuntur. Dicitur eſſe remedium *extraordinarium*, quia tunc primùm datur, quando læſo nulla alia actio ſupereſt, *L. in cauſa ff. de Minor.* niſi tamen remedium extraordinarium eſſet pinguius, ita enim minor vel Eccleſia ex contractu ultra dimidium juſti pretii læſa poteſt omiſſo remedio ex *L. 2. C. de Reſc vend.* reſtitutionem in integrum petere, cùm hæc ſit pinguius remedium, partim quia in ea non eſt neceſſarium probare læſionem *ultra dimidium* ſed gravem & notabilem ; partim etiam ſi emptor ex *d. l. 2.* conveniatur, erit in ipſius arbitrio an rem reddere vel juſtum pretium ſupplere velit, ſi verò reſtitutio in integrum contra ipſum petatur, poterit præcisè ad reſtitutionem rei emptæ compelli. Abb. *in c. cùm dilecti de Empt. & vend. n. 5.* Cov. *var. reſol. lib. 1. c. 3. n. 11. v. tertio hinc &c.* Datur hoc beneficium non tantùm Eccleſiæ contra Laicos, ſed etiam contra aliam Eccleſiam, ſicut minori contra alium Minorem, quia in pari cauſa melior eſt conditio ejus, qui certat de damno vitando, quàm qui de lucro captando. *c. audita,* ubi Panorm. *n. 8. de In integr. reſt. l. verum, 11. ff. de Minor.*

Debent autem 3. potiſſimùm conditiones concurrere ut reſtitutio in integrum locum habeat. I. ut petatur intra *quadriennium* quòd minori quidem currit à principio anni vigeſimi ſexti quando ſcilicet factus eſt major. *l. fin. C. de Tempor. in integr. reſtit.* Eccleſiæ autem à die læſionis. *Clement. un. de In integr. reſtit.* eſt tamen magis recepta DD. ſententia hoc tempus ab initio eſſe *utile*, ut non currat Eccleſiæ ignoranti læſionem, nam *in c. 1. & 2. de Reſt. in integr. in 6.* dicitur, quòd Eccleſia poſt quadriennium non ſit audienda, *ſi negligenter* omiſerit petere reſtitutionem, ergo aliud dicendum, ſi non ex negligentia, ſed ignorantia reſtitutio ommiſſa ſit. Ingenſon *in auth. quas actiones C. de SS. Eccleſ.* Georg. Everh *Vol. 2. conſil. 50 n. 21.* II. requiritur probatio læſionis, niſi ex ipſa actus v. g. præſcriptionis allegatione id ſatis appareat. *cap. cùm veniſſent & c. conſtitutus d. t. L. ait Prætor. 7. §. pen. L. verum. 11. §. 3. & paſſim ff. de Minor.* In Camera tamen practicarum dicit Mynſ. *Cent. 4. ob. 17.* ut minores qui appellationem omiſerunt ſine alicujus læſionis probatione ad appellandum reſtituantur, eò quòd appellationis omiſſio ſit ſatis probabilis ſit læſio. III. requiritur ut læſio contigerit dolo adverſarii vel inconſultâ facilitate læſi vel occulto rei vitio, vel ex negligentia adminiſtratoris, ſi verò caſu fortuito damnum evenerit v. g. domus empta incendio conflagârit &c. reſtitutioni locus haud erit. *l. verum. 11. §. 4. & ſeq. ff. de Minor.* Porrò res una cum fructibus ſublatis tam de Jure Civili tem *extantibus* reſtituenda eſt, *l. patris. ſi pecuniam L. quod ſi minor § reſtitutio. L. ſi Prædium C. de Prædiis Minor. ff. de Minor.* &c. quam de Jure Can. teſte Covar. *var. reſ. lib. 1. c. 3.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

1.c.3.& Barb. *in c.ad noſtram. de Reb.Eccleſ.non alien. n.2.*

5 Petitur reſtitutio ordinariè à Judice adverſarii ex generali regula, quòd actor forum rei ſequatur *l.2.C.ubi & apud quem reſt.pet.* Eccleſiæ tamen hoc Privilegium multi DD. attribuunt, quòd reſtitutionem in integrum contra Laicum etiam coram proprio Judice Eccleſiaſtico petere poſſit *per c.1.de in Integ.reſt.c. pen de Reb. Eccl. non alien.* Gutierez.*canon. qq lib.1.c.34.n* 10. Si contra ſententiam petatur reſtitutio. v.g.propter exceptionem ommiſſam,inſtrumenta noviter reperta &c. ipſe Judex qui ſententiam tulit reſtituere poterit. tex. ſummarium & Caſtr.*in l.2 C. ſent.reſcind.non poſſe.* Gail.1.*ob.*114.*n.*3.

6 Demum petita reſtitutio poſt latam ſententiam ſuſpendit executionem *l. un. C. in integr. reſt. poſt. ne quid novi fiat.* niſi cauſa reſtitutioni eſſet altioris indaginis & veriſimiliter tantùm ad protelandam litem peteretur,quo caſu fieret executio præſtita cautione de reſtituendo in caſum victoriæ *c. ſuſcitata. 6, de In integr. reſtit.* Minſ. *cent.*1.O.48. *& Cent.*6.*c.*8.

Adnotatio.

Ad num. 1. Adde unum notabile, quòd ſit in poteſtate Eccleſiæ ex contractu vel actu ſui adminiſtratoris damnificatæ,an velit adminiſtratorem convenire vel reſtitutionem in integrum petere. imò electâ unâ viâ adhuc dabitur regreſſus ad aliam *L.* 2 3. *&* 5. ibi.*nullo eis præjudicio per electionem generando C ſi tutor vel Curat.intervem.*

Ad n. 4. Egregia hoc loco moveri poteſt quæſtio,an ſicut is,qui ſcit eſſe alienam,eámque poſſe à ſe per *vindicationem* auferri cenſetur malæ fidei poſſeſſor, & tenetur omnes fructus etiam *conſumptos* reſtituere *l. certum 22. C.de Rei vind.* ita etiam,qui ſcit,rem poſſe à ſe per *reſtitutionem in integrum* avocari? Reſp. Negativè cum Covaruv. *Var. Reſol. lib.1.c.3.n.*3 Videtur autem hæc quæſtio fundamentaliter pendere ab ea, utrùm qui cum minore vel Eccleſia contraxit, ex quo contractu, minor vel Eccleſia damnum accepit,teneatur in conſcientia rem reſtituere, antequam per *in integrum reſtitutionem* petatur,ſuppoſito,quòd contractus cœteroquin validus fuerit? Innoc.*in c.quia plerique. De immun. Eccleſ.* & ibidem etiam Panorm. *n.*28. diſtinguunt, an cum, vel ſine *dolo* læſio contigerit? ſi *ſine dolo*, negant reſtitutionem debere fieri ante ſententiam judicis, ſi *cum dolo*, affirmant. Ego hoc poſterius diſtinctionis membrum ſic opinor eſſe declarandum, ut ſi quidem *dolus* dederit cauſam contractui,ita ſcil. ut niſi illa doloſa perſuaſio interveniſſet, Eccleſia non fuiſſet contractura,res etiam ante Judicis ſententiam reſtituenda ſit; *dolus* enim dans cauſam contractui facit contractum nullum. *L.& eleganter. 7.ff.de Dolo.* Sin autem dolus tantùm inciderit in contractum, puta, quia in pretio deſtraudatio facta eſt, &c. cenſeo,in animæ quidem judicio faciendam eſſe reſtitutionem ſeu ſupplementum juſti pretij & compenſationem damni,ſicut fieri deberet, tametſi ſine omni dolo læſio facta fuiſſet; non tamen debere rem ipſam reſtitui; etenim læſio per ſe non facit contractum invalidum, & conſequenter non impedit, quo minus res ejûſque dominium ex contractu acquiſitum retineri valeat; unde etiam poſſeſſor fructus percipit non ex re aliena, ſed ſua. Sed dices, ſi talis *jure dominij* rem retinet & fructus percipit, ergo ab ipſo amplius avocari non poterunt. Reſp. dominium in re & fructibus acquiſitum,quoad effectum eſſe *revocabile*, juxta dictas leges quæ una cum re etiam fructus reſtitui volunt.

PRIVILEGIUM XXXII.

Res Monaſteriorum ſine ſolennitatibus Juris alienari non poſſunt.

1. *Prohibentur alienari immobilia & mobilia pretioſa, & quænam accenſeantur immobilibus.*
2. *Res ſervando non ſervabiles poteſt Prælatus alienare.*
3. *Item res immobiles exiguas.*
4. *Similiter res antiquo alienari ſolitas.*
5. *Quænam dicantur mobilia pretioſa.*
6. *Prælatorum poteſtas eſt amplior quàm tutor.*
7. *Pecuniam poteſt Prælatus ſine ſolennitate expendere.*
8. *Concordatur c.terrulas, 12.q. 2. cum c.ut ſuper §.ſin.de Reb Eccleſ*
9. *An valeat repudiatio legati vel hereditatis ſine ſolennitate?*
10. *Quando Prælatus poſſit exigere ſuper re immobili.*
11. *Quales contractus veniant nomine alienationis?*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN